



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

Cap. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

signum habetis, quod vos ipsum amatis. Atqui si ita licet totam Christi sententiam inuerrere, primùm rogo Calvinistas omnes, si amor discipulorum hoc loco non nisi pignus aut signum est dilectionis Dei erga eos, cur etiam & fides eorum pro solo quoque signo amoris diuini non ponitur? Vtrumque enim Christus dixit: *Quia vos me amastis, & credidistis in me.* Si autem fides nostra in Christum & in diuinam in Christo virtutem, nempe vt esset nobis sapientia, sanctificatio, iustitia, & redemptio (hoc enim totum illis verbis contineri, *Quia à Deo exiui*, Calvinus hinc exponit) non nisi pignus & signum est paternæ Dei in nos dilectionis; non erit amplius magis verum quod fides nos iustificat, quàm quod bona opera nos iustificat. Bona enim opera nos non iustificat, iuxta Caluini perpetuam doctrinam, quia notæ, signa, & pignora sunt acceptæ iustificationis, non autem causa illius; Eodem igitur modo fides non iustificabit, quia iuxta Christi hoc loco sententiam non causa, sed pignus & signum est dilectionis Dei erga nos. In summa igitur hoc dilemma contra Caluinum statuo; Illa Christi verba, *Quia amastis me, & credidistis quod à Patre exiui*; aut causam notant cur Deus Pater discipulos amauit, aut pignus tantùm & signum denotant dilectionis paternæ erga eos. Si prius, charitas non secus dilectionis Dei causa erit quàm fides. Si posterius, fides non magis iustificabit quàm charitas. Veritas autem orthodoxa hoc habet, propter vtrumque, charitatem & fidem, discipulos à Deo Patre dilectos fuisse, & ex vtroque hominem iustificari. Denique hæc verba non signum, sed causam propriè denotare, in superioribus explicatum dedimus. Ita vadique corruptelæ Caluini concidunt.

*Iustificati-
onem ex
sola fide
Calvinus
euerit.*

IN IOANNIS CAP. XVII.

3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum
verum Deum, & quem misisti
Iesum Christum.*

VVM id Patrem rogasset Christus, vt filium suum clarificaret, id est, toti mundo notum faceret, idq; in eum finem, vt iuxta potestatem omnis carnis à Patre acceptam, id est, iuxta redemptionis officium commissum, ad vitam æternam electos omnes à Patre datos perduceret, subiungit nunc huius suæ petitionis causam
impri

Ioan. 11.

imprimis necessariam. *Hæc autem* (inquit) *est vita æternæ*, id est, hoc modo ac via ad vitam æternam peruenitur (habere enim illa verba sensum causalem, vt illud: *Ego sum resurrectio & vita*, item illud: *Deus fortitudo mea & patientia*, multaque huiusmodi; non sensum formalem, vt aliqui existimant) vt cognoscant per fidem *te solum verum Deum*, id est, vnum esse solum Deum, veraciter talem, non multos Deos, vt cæca gentilitas putat; & quem misisti Iesum Christum; id est, præter vnius Dei diuinitatem, *incarnati filij Dei mysterium*, vt hæc Iudæorum fides perficiatur; non quòd sola & plena ratio perueniendi ad vitam æternam sit credere in vnum Deum & Christum redemptorem (vt Brentius in hunc locum colligit, *Fides*, inquit, *est vita æterna, quia Christum possidet*) aut quòd nihil aliud ad vitæ æternæ consecutionem necessarium credendum sit; sed quòd ad hæc duo capita ceteri omnes fidei articuli adducantur, & quòd fides in Deum, ac Christum eius viua esse

Galat. 5.

debeat, *per charitatem operans*, qualis in Scripturis describitur. Nec verò hic locus iuuat Arianos, aut nouos, aut veteres, quasi ita solus Pater Deus sit, vt quem misit Iesus Christus non sit Deus. Nam vt planè annotarunt contra Arianos SS. Doctores, in hac propositione illa copula: &, Patrem & Christum sub vna deitate coniungit, vt latè hunc locum tractant, August. tract. 105. in Ioan. & lib. 6. de Trinit. cap. 9. Ambros. de fide lib. 5. cap. 2. & Hilar. lib. 9. de Trin. Gregor. Nazianz. orat. 4. Theolog. & Athanas. in lib. de Incarn. Christi prope finem & in disputatione contra Arium coram Probo iudice. Et Crispianus lib. 2. contra Iudæos. Secundum quos omnes hæc est verborum Christi constructio: *Vt cognoscant te & quem misisti Iesum Christum, solum verum Deum*. Neque hic tamen persona Spiritus sancti excluditur, sed tacetur; quia eius perfecta notitia nondum fuit tradita. Alia nihilominus verborum constructio & simplicior hæc esse potest: *Vt cognoscant te solum verum Deum*, id est, nō alios deos falsos, nisi te vnum Deum, in quo vno Deo omnes personæ comprehenduntur (sic enim sæpe in Euangelio Patrem alloquitur Christus, non vt personam, sed vt Deum, maximè quando vt homo loquitur, sicut hoc loco) & præter diuinitatis notitiam Christum quoque Redemptorem seu Filium Dei incarnatū cognoscant. Hæc constructionem sequitur Cyrillus lib. 11. cap. 16. in Ioan. Chrysostomus homil. 79. in Ioan. Euthymius, Basilus lib. 4. contra Eunomium. Vtraque constructio bona est, sed posterior magis videtur probabilis, & Arianos satis refutat.

Ariani refutantur.

6. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt.

MAnifestus & perspicuus huius literæ sensus, quòd ad solos discipulos Christi pertineat, ex verbis proximè præcedentibus apparet, quibus dixit: *Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.* An enim Christus aliis se manifestaui, quàm propriis discipulis tuis, quibus dixit, *Vobis datum est nosse mysteria regni calorum?* Turbas autem in parabolis omnia docuit. Ait igitur Christus Patri: *Ego nomen tuum, id est, me esse à te missum in hunc mundum, me esse Filium tuum, te Patrem; manifestaui, aperitè docui, & demonstraui; hominibus quos dedisti mihi ex mundo, id est, non omnibus hominibus aut omnibus Iudæis qui me audierunt, sed istis hominibus quos ex hac vita mundana, tua gratia attraxisti, ut mihi adhererent.* Sic enim postea de illis ipsis & solis dicit: *Mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, id est, quia non eadem sentiunt aut sapiunt cum mundo.* Quam ergo dixisset, *quos dedisti mihi;* huius verbi rationem reddens, ait, *tui erant, scilicet per electionem æternam; & mihi eos dedisti;* id est, mihi ut homini eos dedisti, ut mihi adhererent, & meam doctrinam addicerent; *& sermonem tuum seruauerunt,* id est, omnia fecerunt quæ tuo nomine illis præcepti. Fuerunt mihi & præceptis tuis per omnia obediens. *Sermonem Dei seruare,* apud Ioannem, hunc perpetuum sensum habet, ut significet non doctrinam tantum retinere, sed & præcepta Dei facere. *Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum: & paulò post; Scio eum, & sermonem eius seruo.* Disputat contra Iudæos qui legem Dei non seruabant, & ait se scire Deum, & seruare mandata eius. *Scire, ad doctrinam Patris; sermonem seruare, ad paternæ voluntatis executionem pertinebat.* Rursum: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Nempe quia dilectio implet legem, ut Apostolus docet, vnde addit Christus: *Qui non diligit me, sermones meos non seruat.*

Nunc autem totam hanc Christi sententiam penitus cor-
rumpit, inuertit, & contaminat Calvinus. Vult esse generalem
Christi sententiam, quæ ad solos discipulos pertinet, ut inde
certitudinem suam præsumptione, & extrema impietate ple-
nam constabiliat. *Certitudo (inquit) in eo consistit, quòd Filio
Deus tradit in custodiam quoscumq; elegit, ne pereant. Et huc
conijcere oculos oportet, ut certò teneamus nos esse ex ordine*

Caluini
corruptela
pro certi-
tudine
gratia.

filiorum Dei. Nam in se abscondita est Dei prædestinatio: in solo autem Christo nobis patefit. Hæc ille. Patefieri & manifestam esse cuiusque electionem in hac vita, ex eo esse vult quod in Christum credant. Atqui nihilominus adhuc incerta est electio.

Matth. 22.

Multi enim vocati, ad externam fidei professionem: pauci electi, ad vitam æternam. Sunt quidē in vocatis & iustificatis aliqua signa & indicia electionis ac prædestinationis, sed certitudo nulla. Calvinus ex eo solo quod in Christū credimus, nos iam Filio datos in custodiam, & ex eo nos esse in ordine filiorum de certo concludit. Cuius adhuc sententiæ eodem modo absurditas est, quod etiam signa electionis diuinæ, ex quibus coniiicere hoc saltem & optimè sperare liceat, è medio tollit, nempe quod Christus de Apostolis adiecit, *Et sermonem tuum seruauerunt.* Seruare enim mandata Dei, & gratiam electionis acceptam conseruare, vel, vt D. Petrus loquitur, *vocatum est*

2. Pet. I.

& electionem nostram per bona opera certam facere, iustificatum prædestinationis est indicium. Hoc ipsum tamen tollit Calvinus. Sic enim illa Christi verba peruertit. *Hic (inquit) tertius est gradus. Primus enim est electio gratuita, secundus est donatio illa qua transimus in Christi tutelam. Recepti à Christo per fidem in ouile aggregamur. Reprobis effruit sermo Dei, sed apud electos radicem agit, unde seruare eam dicuntur.*

Salutis
nostra
gradus.

Ponit tertium gradum in fide, vt eam qui seruet, completam habeat electionis suæ certitudinem. In quo bis fallit ac fallitur. Nam nec tertius gradus fides est, sed secundus; nec seruare sermonem Christi hoc loco, fidei radicem tenere, sed Dei mandata facere significat, quorum posterius iam antea probatum dedimus. Prius refutat Paulus, qui gradus salutis nostræ aliter enumerat. *Quos, inquit, prædestinauit, hos vocauit: quos vocauit, hos iustificauit: quos iustificauit, hos glorificauit.* Quatuor hinc gradus sunt. Prædestinatio seu electio gratuita primus gradus est, secundus vocatio per fidem, tertius absque fide nulla vocatio est: nec vocatus in scripturis dicitur, nisi qui fidem professus fideique mysteriis initiatus est.

Rom. 8.

Tertius iustificatio accedente ad fidem charitate, vel potius ipsa fide per charitatem operante, vt Apostolus loquitur. Quartus & vltimus est ipsa glorificatio. Donatio illa qua transimus in Christi tutelam, quam in secundo gradu ponit Calvinus, ad ipsam electionem gratuitam, & primum gradum pertinet. Hoc ipsum quippe eligi seu prædestinari ad gratiam à Deo, nihil aliud est quam ad Christi gratiæ participationem destinari, (in quo placuit omniare restaurari, quod

Gal. 5.

Ephef. I.

Ephef. I.

ephef. I.

est Christo donari, quatenus illa donatio æternam Dei voluntatem significat. Eadem quippe vt temporalem Christo incorporationē notat, ab ipsa vocatione & fide non distinguitur, Christo enim in tempore & de facto incorporari, nihil aliud est, quàm in Christum credere, & per fidem in Christum ad salutem vocari.

Sic omnia cōfundit Calvinus, vt suam ex sola fide electionem statuat. Sanè non omnes seruari quos Pater Christo dat iuxta donationem temporalem ex fide, ex qua sola suam certitudinem Calvinus colligit, vnius Iudæ exemplum docere potest, de quo Christus iofrà dicit: *Quos dedisti mihi custodiri. Nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Quis dicit, *Nemo nisi,* manifestè docet Iudam quoque à Patre Christo datū fuisse. Exceptio enim ab eodem fit genere quo cæteri comprehenduntur. Sed datus erat electione temporali iuxta vocationem ex fide: non erat datus electione æterna, vt iustus ac beatus perseverans in finem. Ideò notare volens Christus causam ruinae, vocat eum *filium perditionis*, id est, filium perditum, nequam, voluptatibus suis & peccatis deditum, iuxta phrasim Hebræorum perpetuam, quam & annotavit Basilus in Psalmos. Impius Calvinus vult eum ita vocari, *quasi exitio deo-* Homil. in Psal. 7. ad ver. 12. *tum, vt perditionis causam in Deum referat: eamque ob causam illa Christi verba, Nemo perijt, nisi Iudas, ait esse im-* propriam exceptionem, ad Grammaticam quod attinet. Ira homo incredibiliter audax & pernicax etiam Grammaticum Christi sermonem corrigit, vt suis horrendis placitis circa reprobationem diuinam locum faciat.

20. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui per verbum eorum credituri sunt in me, vt omnes vnum sint, &c. vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Aduertere potuit hoc loco Calvinus, ex hac Christi oratione (in qua haud dubiè & exauditus fuit) Ecclesie Christianæ perpetuò docentis ac prædicantis perpetuam quandam vnitatem, firmitatem, ac stabilitatem, necessariò colligi. Quòd enim pro ipsis Apostolis tantum orauerit, vt ipsi seruantur in nomine eius, vt sanctificarentur in veritate, vt omnes vnum essent, (quæ omnia fidei ac veræ doctrinæ perpetuò in illis stabilitatem & vnitatem postulanti) idem nunc ad omnes docentis & prædicantis Ecclesie discipulos extendit, qui ad finem vsque mundi futuri erunt. Docet

Ecclesia Christiana perpetua stabilitas.

ergo hic locus, Ecclesiae Christianae, veraeque & sanae doctrinae penes eam docentem perpetuam stabilitatem, qualem in ipsis Apostolis perdurasse nemo Christianus dubitat: ut propterea horum temporum haeretici, qui à tot saeculis, sanè ab ipsis iam Apostolorum temporibus (quod enim antiquissimi Patres docuerunt, pro doctrina Papistica passim suggestit Calvinus, ut multa in his Antidotis exempla docuerunt in plurimis & maximis dogmatibus totam, quae extabat, Christianam Ecclesiam turpissimè errasse dogmatizant, & consequenter hanc Christi orationem penitus inanem & infructuosam reddunt, summæ & apertæ impietatis ex hoc loco conuincuntur. Aduertere facile potuit hoc totum Calvinus, ideoque vafre & astute ab illa cogitatione lectoris animum auocans, ad ipsos Catholicos ex hoc loco accusandos, & ad Ecclesiae Catholicae doctrinam exagitandam, stylum conuertit. Sic enim scribit. *Quod proxime sequitur memorem, Per verbum eorum in me, vim ac naturam fidei optime exprimit: & simul familiariter nos confirmat, quò sciamus fidem nostram in Euangelio per Apostolos tradito fundatam.* Verum sanè istud est, quia in Apostolica doctrina per totam orbem praedicata, nobisque de manu in manum tradita, quemlibet Christianum acquiescere necesse est, illis verò qui aliud, praeterquam ex Apostolica traditione accepimus, nobis euangelizant, anathema dicere oportet. Natura & vis fidei hic optime exprimitur: *Fides quippe ex auditu est, auditus autem per verbum Christi, quod hic Christus ipse vocauit, Apostolorum verbum: Qui per verbum eorum credituri sunt in me.* Verò B. August. ex hoc loco colligit, *verbum fidei, & verbum Apostolorum, credere Deo, & credere Ecclesiae, prorsus idem esse.* Haecenus ergo & rectè & nihil aduersus Catholicos dicit Calvinus, videamus sequentia. Ergo ut millies à mundo amemur, sufficiat hoc vnum, quòd Christus in suo peculio agnoscit, & Patri commendat. Rectè quoque & istud. Nam quicquid haeretici contra Catholicam Ecclesiam obiciant, sufficit nobis quòd Apostolicis traditionibus inherentes, & doctrinam Apostolicam, quam ab Apostolis acceptam Ecclesiae praedicauerunt, piè & orthodoxè tenemus. Sed haecenus non nisi velitatus Calvinus, & non nisi gecculiter loquens, veluti aërem gladio verberans, nunc communi hostem petit. *Ve autem Papistis, quorum tam longè ab heretice gula aberrat fides, ut eos non pudeat execrabilem blasphemiam vomere, nihil nisi ambiguum & flexiloquum haberi in Scriptura.*

Caluini
impositura.

Gal. 1.

Rom. 1.

Tract. 109
in Ioan.

Caluini
duplex &
puidum
mendacia.

Itaq; sola Ecclesia traditio illis credendi magistra est. Hæc gladiator iste. Sed totus eius furiosus ictus non nisi aërem verberavit: homines, quos petit, nullo modo attigit. Purum ac putidum mendacium est quod narrat. Nihil haberi in Scriptura nisi ambiguum & flexiloquum, non est Papistarum execrabilis blasphemia, sed est Caluini & Calvinistarum execrabilis calumnia. Nec sola Ecclesie traditio illis credendi magistra est, sed pariter cum scriptura Ecclesie quoque traditio tam illis nunc est, quam antiquissimis & doctissimis Ecclesie Patribus semper fuit Tertulliano, Basilio, Chrysostomo, Augustino, & aliis, vna credendi regula. An quia Catholici omnem scripturam perspicuam & claram esse negant, igitur & nullam esse perspicuam, aut nihil in ea nisi ambiguum & flexiloquum affirmant? Aut quia traditiones amplectuntur non scriptas, idcirco illis solis insistent? Putidum illud & duplex mendacium vno verbo notasse satis erit. Nos Catholici Scripturas sanctas veneramus, tractamus, & earum genuinos ac germanos sensus contra execrables Caluini corruptelas, quanto studio possumus, tuemur & propugnamus.

Sequitur adhuc in Caluino. Sed nos meminimus solam à filio Dei probari fidem que ex Apostolorum doctrina concipitur. Porro certum eius testimonium non alibi reperitur quam in ipsorum scriptis. Sic quidem tu, Caluine, narras. Sed audi quid aduersum te & hæreticos omnes, doctrinae & prædicationis Ecclesiasticæ hostes, ab annis iam 1400. doctissimus præscripsit Tertullianus: Quid prædicauerint Apostoli, id est, quid Christus illis reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt ipsi eis prædicando tam viua voce quam per epistolas postea. Apostolorum doctrina ab Ecclesiis, quibus illam tradiderunt, discenda est. Illæ Ecclesie non scripta tantum Apostolica, sed & traditiones Apostolorum non scriptas, à suis maioribus acceperunt, nobis tradiderunt. Illud imprimis ac disertè Thesalonicensium Ecclesiam docente Paulo. Tenete, inquit, traditiones quas accepistis siue per sermonem (quod est viua voce) siue per epistolam. Censuit ergo Paulus non minus certum Apostolicæ doctrinae testimonium in traditionibus Apostolicis viua voce datis, quam in scriptis Apostolicis reperiri. Ita contra Caluinum multò magis præscripsit Paulus. Sed & à filio Dei Iudice illa hoc loco probatur fides, quæ per Apostolos viua voce tradita est, nulla Scriptorum aut mentione facta aut insinuatione data. Qui per verbum (inquit)

In libro de corona militu.

De Spiritu Sancto c. 27.

In 2. Thes. 2.

Epi. 119.

Apostolorum doctrina non in solis Scripturis.

Tertul. in lib. Præscript. hæret. cap. 21.

2. Thes. 2.

Calvinus
ex seipso
refutatur.

eorum credituri sunt in me. Notanda est locutio (ait hoc loco Calvinus ipse) *Credere per sermonem: quæ significat fidem ex auditu nasci, quia organum, quo nos ad fidem trahit Deus, est externa hominum prædicatio.* Pulchre admodum, hinc eum liquidò constat illam Apostolicam doctrinam hoc in loco à Christo commendari, quæ per viam Ecclesiarum Apostolicarum prædicationem ad nos derivatur, & quam ex tradita viua voce doctrina accepimus, non illam quæ in scriptis Apostolorum reperitur, utpote quæ nec organum tale est à Deo institutum, nec vel hinc vel alibi tanquam vnicum & perfectum credendi medium proponitur.

21. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis vnum sint.*

Vnitatis
fidelium
duplex.

PRO duplici hinc fidelium vnitatis orat Christus: vna quæ ipsorum inter se ipsos est, ratione vnius fidei, eiusdem religionis, & mutua charitatis. Hanc expressit in illis verbis: *Vt omnes vnum sint.* Altera quæ cum Deo & Christo est, ut per gratiam, fidem, charitatem Deo vniantur credentes, cum illo coniungantur, in illo maneat, ac denique Deus in ipsis sit, iuxta illud D. Ioan. *Qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in eo.* Hanc posteriorem vnitatem explicat Christus per illam quæ est inter ipsum & Deum Patrem vnitatem. *Sicut* (inquit) *tu Pater in me, & ego in te.* Hæc autem explicatio non ponit æqualem prorsus inter Deum & nos vnitatem, illi quæ Christo cum Patre vnio fuit, sed similem tantum: quando vnio Christi cum Patre naturalis est, nostra accidentalitatis, & per gratiæ dona. Quum igitur Ariani ex his Christi verbis non aliam esse Christi cum Patre vnitatem, quam quæ nobis cum Deo est, probare vellent idcircoque aut nos esse Deo consubstantiales, aut Christum Patri consubstantialem non esse: antiquissimi & doctissimi Patres Athanas. Cyrillus Alexandr. & Hilarius, eo modo hanc illorum cauillationem repulerunt, ut agnoscerent quidem vnitatem inter Christum & Patrem non nisi naturalem his verbis designari, nostram vero cum Deo vnitatem ex similitudine, non ex æqualitate aut paritate, per illam à Christo explanari. Hanc doctissimorum Patrum responsionem ac sententiam in fauorem Arianorum vellicat, taxat, suggillat, ac damnat superbus & impius Calvinus, sic in hunc locum scribens. *Tenendum est, quoties cum se cum Patre esse in hoc capite pronunciat Christus, sermonem*

Sermone
4. cont.
Arianos.
Lib. 11. ca.
26 in Ioa-
nem.
Lib. 8. de
Trin.
Arianos
defendit
Calvinus
contra vet.
Patres.

non haberi simpliciter de diuina eius essentia, sed unum vocari in persona mediatoris (quali persona Christi esset vnita Patri, cuius nec natura humana vnita Patri est, sed soli Filio, aut quali ipsi Dei Filio aliqua persona mediatoris Christi vnita esset, ac non sola natura humana in vna & eadem vtriusque natura persona) & quatenus caput nostrum est. Sic quidem precise multi ex Patribus interpretati sunt, Christum unum esse cum Patre, quia eternus sit Deus. Sed huc eos abripuit contentio cum Arianis, ut concisas sententias in alienum sensum torquerent. Hæc Aristarchus iste & censor superbissimus. Minus nunc miramur si recentiores interpretes Catholicos, Pastores, & Doctores, nouellus Ministellus despiciat, postquam columnas ipsas & potentissimos veterum hæreticorum Antagonistas fastuosus iste & turgidus Gallus sic ex alto despiciat, ut in alienum sensum Christi verba torquere eos pronúciat ac proclamet. Audiamus tamen Aristarchi (si quas habet) tam arrogantis iudicij causas. Longè (inquit) aliud Christi consilium fuit, quàm ad nudam arcana diuinitatis sua speculationem nos euehere. Siquidem à sine ratiocinatur, ideo nos debere unum esse, quia alioqui inanis & infructuosa esset quam habet cum Patre vnitas. Quid ego audio? Nisi nos unum simus per gratiam, Christi cum Patre vnitas inanis atque infructuosa erit? Quæ, obsecro, Christo cum Patre vnitas alia est, quàm naturæ diuinæ, quæ in Christo erat, cum Deo Patre identitas? An Christus vt mediator & homo Patri fuit vnitus? An Deus Pater humanam naturam assumpsit? Annon solus Dei Filius factus est homo? Christi igitur cum Patre, vt homo est, nulla naturalis vnitas est, sed cum sola persona Filij Dei. Christus cum Patre unum esse in Euâgelio dicitur quatenus Deus est, non quatenus homo. Hæc vnitas Christi Filij Dei cum Patre in vna & eadem diuina natura, à nostra vnitate siue inter nos, siue cum Deo, minimè pender. Integra, perfecta, omnibus numeris absoluta ab æterno est, fuit, & erit, siue homines Deo per gratiam vniantur, siue non. Dicit fortè Calvinista aliquis Calvinum hoc non negare, sed de vnitate humanæ naturæ in Christo cum ipsa diuinitate loqui, quam Patris nomine expressit, non personam, sed naturam Patris, quæ cum Filio eadem est, hoc vocabulo denotans. Atqui nec ita excusari potest. Ait enim in sequentibus. Ita optimè stabit contextus, ne irrita sit vel inutilis Filij cum Patre vnitas, eius virtutem oportere in rotum piorum corpus diffundi. Ecce loquitur de vnitate Filij Dei cum Patre. Hæc vnitas est vna & ea-

Caluini
crassa igne
rantia.

dem diuinitas, seu vna & eadem essentia ac natura diuina. At hæc in duabus illis personis naturæ vnitas à nostra cum Deo vnitate pendet, vt absque hac nostra inanis & infructuosa illa altera sit? Quid absurdius, quid magis impium dici poterit quasi Dei perfectio à nostra penderet, aut quasi ante constitutionem mundi, & creatum hominem ad imaginem & similitudinem Dei, Deus ab æterno non foret vnus in tota personis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Cæterùm demus Caluinum in toto hoc sermone, non quidem absurdè & impiè sed impropiè tantùm aut parum consideratè loquutum fuisse, & hoc eum dicere voluisse, *Non debere vnum esse, quia alioqui inanis & infructuosa esset, non sanè Filij Dei cum Patre sed assumptæ à Filio Dei sibi que vnitas humanæ naturæ vnitas.* Sic enim adhuc prosequitur. *Ergo vt ritè comprehendas quòd pertineat istud, Christum & Patrem vnum esse, caue ne Christum exuas mediatoris persona. Sed magis potius considera vt est Ecclesia caput, & membris suis coniungitur. Ita optimè stabit contextus, ne irrita sit vel inutilis Filij cum Patre vnitas (dicere debuit Christi mediatoris cum Deo vnitas) eius virtutem oportere in totum piorum corpus diffundere. Vnde etiam colligimus nos vnum cum Christo esse, non quia suam in nos substantiam transfundat, sed quia Spiritus sui virtute nobiscum vitam suam, & quicquid accepit à Patre bonorum, communicet.* Hæc ille. Hic sanè sensus quòd Christi mediatoris cum filio Dei vnitas, seu vnio hypostatica irrita & inutilis esset, nisi in eum credentes vnum cum Deo essent, probabilis & pius sensus est; quia idèò facta est hæc vnio idèò Verbum caro factum est, vt quæ dispersa erant, congregaret in vnum, & hospites atque aduenas, quasi que homines in Deo in hoc mundo, sanctorum ciues ac domesticos faceret, ob idque vt pax nostra esset, faciens omnia vnum. Hic, inquam, sensus pius ac probabilis est, quia mundi conciliatio incarnationis dominicæ finis erat. Cæterùm Christus hoc loco non causam vnionis nostræ cum Deo tractat, sed pro illa Patrem orans, qualem & quantam illam esse velit, ex vnione ipsius cum Patre (quæ non nisi naturæ diuinæ vnitas est) exponit. Non dicit, Vt sint vnum, quia tu Deus in me es, & ego in te, sed dicit, *Vt sint vnum sicut tu Pater in me (Filio) & ego in te (Filius) in te Patre sum.* Nulla ergo hæc fuit ratio cur Patrem sententiam reprobarer Caluinus. Certum quippe ex his sententiam Christi iuxta eius verba optimè illos tenuisse Caluinum verò à sententia Christi longè recessisse.

Ioan. 1. &
13.

Ephes. 2.

At, inquit, utique à litera recessisse videatur, nec illam unitatem expressisse de qua proprie Christus loquitur, sensum tamen pium & probabilem ab eo redditum agnoscit. Sensus sanè quem supra expressi, qui ex Caluini verbis aliquo modo colligi posse videtur, pius ac probabilis est: verum enim verò in hoc pio ac probabili sensu impium nobis & pestilens toxicum coxit Caluinus, hæc enim Caluini verba, oportere virtutem Christi in totum piorum corpus diffundi, & Spiritus sui virtute nobiscum vitam suam, & quicquid accepit à Patre bonorum, Christum communicare, ad imputatiuam Caluini iustitiam obiter instillandam concepta sunt. Sic enim, iuxta Caluinum; Christi virtus in omnes pios diffunditur, quatenus illi in sese impij atque immundi absque vlla inhaerente ipsi iustitiæ qualitate, sola Christi iustitia vestiuntur. Sic rursus, iuxta Caluinum, Spiritus sui virtute Christus nobiscum omnia sua communicat, quatenus suam omnem iustitiam ac sanctitatem nobis imputat, quam eius Spiritus in nobis obsignat, suo testimonio eius nos certiores immò certissimos faciens. Hæc est vnitas nostra cum Christo iuxta Caluinum, non vera, non realis aliqua donorum participatio, non vera & realis conformatio animorum, aut vera interna renouatio, qua Deo assimilemur & vniamur, sed omnium quæ in Christo sunt per fidem quandam imaginariam fortis apprehensio, quæ dicit, Crede quod habes, & habes. Sic ille hunc locum veteratorie tractans, nec unitatem inter Christum & Patrem tenuit (vereres Patres circa eius sensum superbissime fugillans) nec unitatem nostram cum Deo, pro qua Christus hic orat, piè ac salubriter, sed vafè ac fallaciter expressit. Hæc est vnitas nostra cum Deo, vt per fidem & dilectionem Deo vniamur. *Desponsauit te fide*, ait vna scriptura. *Qui manet in charitate, manet in Deo*, licet alia; vt rumque coniungens Apostolus dicit, *Christum habitare per fidem in cordibus nostris, in charitate radicatis & fundatis*. Sed alia adhuc vnio nostra cum Christo maior atque perfectior est, quàm in proxima sententia à Domino traditam paucis explicabo.

Caluinus
occultum
toxicum
aperitur.

Vnitas nostra
cum
Deo qua-
lis.
Osea 2.
1. Ioan. 3.
Ephes. 3.

Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.

Postquam in proximè præcedentibus verbis rogasset Patrem Christus duo; vnum, vt credentes in se vnum faceret inter se ipsos; alterum, vt in Patre ac Filio siue in Deo

vnun essent, sicut ipsi inter se Pater ac Filius vnun subtrahē
de alia quadam vnitāte loquitur, pro qua Patrem non orat,
sed quam seipsum suis discipulis iam dedisse affirmat, me-
diance quadam claritate ab ipso Deo Patre accepta: Ego (in-
quit) claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt (hac media-

Claritas
Christo à
Patre da-
ta. & Apo-
stoli à Chri-
sto, qua &
qualu.
1. Sensus.

te claritate) vnun sint, sicut & nos vnun sumus. Quænam sit
ista claritas, & quid huius claritatis vocabulo significetur,
non parua quæstio est. Aliqui hoc nomine gloriam corporis
futuram designari volunt, & verbum præteriti temporis si-
gnificationem habere futuri. Sed ista corporis gloria non fa-
cit beatos vnun cum Deo, quum nihil in Deo corporeum
sit. Deinde illa quoque petenda erat à Patre, sicuti Christus
sui corporis gloriam à Patre rogauit in verbis præcedenti-
bus: Clarifica me, Pater, claritate quam habui antequam mun-
dus fieret. Petit humanæ naturæ suæ glorificationem Filio
Dei dignam, & qualem ipse ab æterno habuit, vt illa in cot-
pus suum redundet. Alij hoc claritatis vocabulo filiationem
significari volunt, quam Christus iam suis discipulis dederat,
faciens eos filios Dei per adoptionem, sicut ipse erat filius
Dei per naturam. Quæ certè expositio probabilis est. Sed quia
illa in prioribus verbis expressa erat, vbi orauit Christus, vt
vnun essemus in Deo, & hæc adoptio filialis ipsamet vnio
nostra cum Deo est, non aliqua claritas quæ facit nos vnun
(qualem hinc exprimit) literalem sensum non attingit. Eisdem
quoque de causis nec *imaginis diuina in nobis reformatio* (quæ
hinc ponit Calvinus) hæc claritas esse potest: vt potest quæ no-
stræ vnionis cum Deo non causa, sed effectus est, vel certè
ipsa formalis vnio: pro qua & Christus orauit, non quam hinc
tenus dederat. Denique nec glorificationem, nec filiationem
nec reformationem nostram, Christus à Deo accepit. De-
li autem claritate loquitur Christus, qualem ipse à Deo ac-
ceperat. Claritatem quam tu dedisti mihi. Inuestiganda igitur
claritas, quam & Christus à Patre accepit, & suis discipulis
iam dederat, & talis denique sit vt vnun nos cum Christo fa-
ciat, sicut Pater & Filius in diuinis vnun sunt. Hæc sane cla-
ritas non est alia quàm ipsa diuinitas Christi, quam ille vt
homo à Patre adeoque à tota Trinitate accepit, quia vnus
illa hypostatica Dei & hominis in Christo, opus erat totius
Trinitatis, tamen si sola persona Filij Dei illum hominem as-
sumpsit, & assumptionis illius terminus fuit. Dicit igitur
Christus: Hanc claritatem & gloriam, hanc diuinitatem quam
tu dedisti mihi, id est, carni meæ vniam; ego etiam dedi illis
dando

2. Sensus.

3. Sensus.

4. Sensus
& verus.

Claritas
Christi in
Sacramē-
to Eucha-
ristia Apo-
stoli data.

illa hypostatica Dei & hominis in Christo, opus erat totius
Trinitatis, tamen si sola persona Filij Dei illum hominem as-
sumpsit, & assumptionis illius terminus fuit. Dicit igitur
Christus: Hanc claritatem & gloriam, hanc diuinitatem quam
tu dedisti mihi, id est, carni meæ vniam; ego etiam dedi illis
dando

dando eandem carnem meam diuinitati meæ coniunctam in
 cibum & alimentum spirituale: *ut sint unum*, non solum per
 gratiam, & spirituales quoad animas, sed etiam per realem
 quandam & corporalem vnionem; *sicut & nos unum sumus*,
 non voluntatis tantum & spirituali consensu, sed etiam hy-
 postatica naturarum coniunctione. *Ego in eis*, videlicet per
 carnem meam in cibum illis datam; *& tu in me*, quia diui-
 nitas tua est carni meæ vnita; *ut sint consummati in unum*, id
 est, unum quoddam fiant nobiscum profecto modo: dum non
 solum vniantur inter se & cum Deo quantum ad animos (quod
 fit per Spiritum sanctum) sed etiam quantum ad corpora
 ipsa. *Et cognoscat mundus*, id est, ex hac illis claritate data, &
 hac in illis vnione facta, cognoscat & credant credentes;
quia tu me misisti, id est, me esse Filium tuum à te missum.
 Non enim aliter vniri poterant nobiscum, nisi diuinitatem
 haberem in ea carne quam dedi eis; *& dilexisti eos, sicut me
 dilexisti*, id est, cognoscat quoque te simili quadam dile-
 ctione eos dilexisse qua me dilexeras; quando idem benefi-
 cium, eandem diuinitatem tuam, quam mihi dedisti, eis quo-
 que à me dari voluisti. Simili dico, non pari, quia diuinitas
 carni Christi immediatè coniuncta fuit, nobis autem me-
 diante Christi carne coniungitur. Hæc est hoc loco tota Chri-
 sti sententia, ex variis membris plenòque sermone à doctissi-
 mo interprete Fráncisco Toletò collecta. Sic ipsa Christi ver-
 ba exactè tenentur, & cum consequentibus aptissimè conne-
 ctuntur. Nec fuit hic sensus Patribus incognitus. Cyrillus *In Ioan.*
 Alexand. aduertens in illis verbis Christi, *Sicut tu Pater in lib. xi. cap.*
me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, maiorem quan- 26.
 dam exprimi vnionem, quàm voluntatis & consensus, quia
 & inter Christum & Patrem maior vnio est, *Considerandum*
(inquit) est, si ad unitatem consensus & voluntatis, natura-
lem etiam inuenire possimus, per quam nos inter nos & omnes
Deo colligemur. Tandem post aliquam inquisitionem & di-
 sputationem ita concludit. *Vt igitur inter nos & Deum singu-*
los vniret Christus, quamuis corpore simul & animo distemus,
modum tamen adinuenit, consilio Patris & sapientie sua con-
gruentem. Suo enim corpore credentes per communionem my-
sticam benedicens, & secum, & inter nos, unum nos corpus effe-
cit. Quis enim eos qui vnus sancti corporis vnione in vno Chri-
sto vniti sunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Hæc ille,
 multis postea verbis rem eandem confirmans, maximè ex illis *1. Cor. 10.*
 Pauli verbis: *Omnes unum corpus & vnus panis sumus, qui de*
 vno

Vnio no-
 stra cum
 Christo
 corporali.

In Ioan.
 lib. xi. cap.
 26.

1. Cor. 10.

vno

uno pane participamus. Rursum ad illa ipsa verba quæ nunc tractamus, *Ego claritatem quam dedisti mihi*, &c. postquam claritatem à Deo Christo datam exposuisset, ipsam diuinitatem humanæ eius naturæ coniunctâ, quomodo eadem claritas nobis sit data, ut vnum simus cum illa, sicut ille & Pater vnum sunt; hoc iterum modo rem exponit. Corporaliter filius per benedictionem mysticam nobis ut homo unitur; spiritaliter autem ut Deus, sui Spiritus gratia, nostrum ad nonam tantam & diuinam naturam participationem, spiritum redintegrat. Denique & illa Christi verba, *Ut sint consummati in vnum*, hac eadem ratione exponit. Consummati sumus redacti ad vniionem Dei Patris, mediatione saluatoris, id est, Christi: Filius enim Dei natura Patri unitum, corporaliter substantialiter (ut dictum est) accipientes, clarificamur, glorificamur, & ipsa facti natura participes. Hæc iterum ille, literæ Euangelicæ sensum exactissimè secutus. Sed & B. Hilarius Latina Ecclesiæ lumen, ut Cyrillus Græcæ, hanc nostram cum Christo ac Deo vniionem, de qua Christus hinc loquitur, eodem quoque modo intellexit; adeoque ex nostra cum Christo ac Deo vniione plusquam spiritali probat Christum cum Patre vnum esse non spiritali tantum, sed & naturali coniunctione. Sic enim contra Arianos disputans scribit. *Eos qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem*, interrogo, utrum per naturam veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis. Si enim verè Verbum caro factum est, & non verè Verbum carnem cibo dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ tam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam eternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit. Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Hæc ille. Tenemus nunc quæ & quanta sit hæc vniio nostra cum Deo, non solum spiritalis, pro qua Christus prius orauit, sed etiam naturalis & corporalis, quam ipsemet se Apostolis sibi contulisse affirmat, ut sint consummati in vnum. Impie igitur Calvinus hoc loco concludit. *Vnde colligimus, nos vnum cum Christo esse, non quia suam in nos substantiam transfudit, sed quia Spiritus sui virtute omnia nobis bona communit.* Iam enim didicimus, quod claritatem quam dedit ei Pater, ipse nobis dedit, suam nobis substantiam & carnem & sanguinem suum cum diuinitate quam à Patre accepit coniungendo communicando, ut simus consummati in vnum, & ut cogno-

De Trinit.
lib. 8.

scant omnes credentes, tum Christum Dei Filium esse, qui sua carne communicata, diuinæ naturæ confortes nos facit; tum maximam in nos Dei dilectionem esse, qui tanto & tam diuino Dei beneficio nos donauit. Vtramque hanc fidei & consolationis nostræ partem, quam Christus Dominus tanto hinc cum affectu commemorat, impius Calvinus, & Sacramentarij omnes nefariè sustulerunt, eaque Ecclesiam Dei, vt robusti latrones spoliarunt, profanato hoc diuinissimo Sacramento, & ad vnum panis frustulum viniq; vulgaris haustum reducto. De qua impietate plura super Matth. cap. 26. diximus.

Caluini-
starum
impietas.

IN IOANNIS CAP. XIX.

7. Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.

OBSE RVAT hoc loco Calvinus, & in ipsos Catholicos contorquet, in quo ipse maximè peccauit, & quod vix in quempiam magis quàm in illū vnum quadrat: Hæc (inquit) accusatio non prorsus carebat prætextu; sed in hyporhesi grauitèr errabāt. Generalis quidem doctrina vera erat, fas non esse hominibus, quicquam sibi diuini honoris sumere, ac morte dignos esse, quicumque ad se traherent quod vnius Dei proprium erat. Causa autem erroris in Christi persona fuit, quod neque reputarūt quibus elogijs Messiam prædicet Scriptura, quia inde colligere promptum erat, esse Filium Dei; nec etiam inquirere dignati sunt, essetne Iesus ille Messias olim à Deo promissus. Videmus ergo, vt ex vero principio falsam consequentiam deducūt, quia malè subsumunt. Quo exemplo monemur inter doctrinam generalem & hypotheses sedulo distinguere. Multi enim imperiti & leues homines, si semel decepti fuerint veri prætextu, ipsa quoque scriptura principia rejiciunt. Quæ licentia hodie plus iusto in mundo grassatur. Meminerimus ergo sic cauendum esse à fallacijs, vt principia quæ vera sunt, integra maneant, nec labefactetur scriptura fides. Rursus hoc modo facile refutare impios licebit, qui scripturæ testimonium, & quæ inde sumunt principia, malis causis falso & perperam obtendunt. Tota hæc Caluini narratio vera est & salutaris, sed in ipsum vnum porissimū quadrat; qui quàm multa scripturæ testimonia, & quæ inde sumpsit principia, malis causis falso & perperam obtenderit, quoties ex veris principijs falsas cōsequentiās deduxerit pessimè subsumens, quàm frequen

frequen